

cur stare, videat, ne cadat. Non solos autem *δοκίμις*
 h. l. intelligi tam ex antecedentibus quam consequentibus
 luculenter constat, ut adeo h. l. *δοκίμις* non fallacem opinio-
 nem, sed veram persuasionem denotet. *Id. ibid.* Frustrane-
 um autem fuisset hoc monitum, si renati cadere, & ita gra-
 tiam Dei penitus amittere nullâ ratione possent. *Vide in*
Te benignitatem Dei, si permanseris in eâ, alioquin & Tu ex-
cideris, minatur Apostolus *Rom. XI, 22.* Quomodo autem
 adjicere has minas potuisset, si renati non possent aliter
 quam manere in gratiâ & fide? Frustraneum fuisset & hoc,
 quando *Apoc. III, 11.* dicitur: *Retine, quod habes, ut nemo*
accipiat coronam Tuam. Siquidem id, quod sub nullam e-
 reptionis aut amissionis cadit periculum, adeo singulari curâ
 custodiendum non est. Adde his testimoniis ea, quæ ha-
 bentur *Gal. III, 3. V, 4. 1. Tim. 2, 19. 2. Pet. II, 1. Heb. III, 6. A-*
pod. II, 3. Neque Exemplorum id similiter comprobantium
 destituimur copiâ. *Davidem* quis non haberet pro verè rena-
 to? At is per peccatum adulterii atq; homicidii gratiam Dei
 & Spiritum S. amisisse legitur. Licet autem Calviniani hoc
 negent, & Davidem gratiam Dei retinuisse asserant, cum ea ad
 tempus saltim tecta fuerit, tamen ipsis fortissimum hoc Argu-
 mentum possumus opponere, quod conceptis verbis habet
Menzerus in Defens. Resp. Conv. Prut. cap. XII. *Quisquis*
contempto Dei verbo malum facit in conspectu Dei, & securè
peccat, & inde filius mortis in judicio Dei censetur, is dici non
potest retinere fidem, h. e. in Deum fiduciam, & Spiritum S.
gratiosè inhabitantem. *Atqui David committens primò a-*
dulterium, & postmodum etiam destinato consilio homicidium,
contempto Dei verbo malum facit in conspectu Dei, 2. Sam. XII,
9. & securè peccat (nullam agens per menses integros decem
pœnitentiam,) & inde filius mortis in Dei judicio censetur.
E. David committens primò adulterium, & postea etiam desti-
nato

nato